

to Molinæ, quia illud conjunctum ex lumine gloriæ, et intellectu creato est aliquid finitum, et dato quocumque finito potest Deus facere aliud perfectius, ergo potest facere intellectum habentem ex se illam perfectionem luminis gloriæ, ita quod habeat in se, et ratione sui id quod habet modo hoc conjunctum ex lumine gloriæ, et intellectu nostro. Confirmatur, quia noster intellectus non ex eo indiget lumine supernaturali ad videndum Deum, quia Deus est extra objectum ejus terminativum, sed quia est minoris virtutis, quam exigit objectum ita perfectum, sed quocumque intellectu dato potest fieri alius perfectior. Ergo potest perveniri ad intellectum, qui ex sua connaturali efficacia superet vim illius intellectus, qui lumine gloriæ illustratus est. Unde non est simile de visu externo, qui quantumcumque crescat in virtute sua non potest pervenire ad hoc ut audiat, id enim ex eo est quia sonus, et auditio sunt extra objectum terminativum visus: at vero visio Dei non est extra objectum intellectus. Confirmatur secundo, quia omnis forma creata est quædam participatio Dei, et tamen multæ formæ sunt connaturales entibus creatis, sicut intellectus, et voluntas sunt connaturales Angelis, ergo etiamsi lumen gloriæ sit participatio quædam Dei poterit esse connaturale alicui substantiæ creatæ, præsertim quia lumen gloriæ non est proprie forma Dei, quia in eo esse non potest cum sit quoddam accidens.

XXX. Respondetur verum esse quod conjunctum ex lumine gloriæ, et intellectu nostro est aliquid finitum, et illo dato potest Deus facere aliud excellentius, scilicet aliud conjunctum ex nobiliori intellectu, et perfectiori lumine gloriæ, non tamen sequitur quod possit facere aliquem intellectum, qui non sit

elevabilis a lumine gloriæ, et lumen gloriæ quod non sit elevativum illius, sed connaturale illi, supposito quod tale lumen non est participatio alicujus creati intellectus, sed divini in quantum divinum est, et faciens consortium illius, nullus autem intellectus creatus potest habere pro connaturali lumine id quod facit consortem, et elevatum ad proprium modum divinum, ut satis explicatum est.

XXXI. Ad primam confirmationem respondetur intellectum nostrum indigere lumine gloriæ elevante ad videndum Deum, non solum quia est minoris virtutis, quam ipsum objectum quod est Deus quasi intra eandem lineam perfectionis minoratus, qui per virtutem connaturalem possit crescere ad illud lumen, sed quia est inferioris ordinis, et non nisi obedientialiter et elevabiliter respiciens illud, non connaturaliter. Unde non sequitur, quod quia potest Deus facere intellectum magis, ac magis perfectum in infinitum, et secundum diversas species, possit facere intellectum illius ordinis divini, qui non sit elevabilis ad modum intelligendi divinum, quia quicumque intellectus creatus debet respicere Deum ut superiorem, et infinite distantem a se, et consequenter ut alterius ordinis a tota collectione creata, et consequenter ad hoc ut reddatur consors divini illius naturæ indigebit lumine elevante, et tamquam alterius ordinis perficiente atque adeo non sibi connaturali, sed supernaturali. Nec facimus vim in exemplo de visu respectu soni, et auditionis, quia non est capax neque elevabilis ad audiendum, intellectus autem, etsi non connaturaliter, tamen elevabiliter est capax divini visionis, et hoc in quantum creatus intellectus est, non in quantum noster, quia omnis creatus intellectus non est

capax divini visionis tamquam sibi connaturalis, sed tamquam excellentis ab ordine, et ratione immaterialitatis.

XXXII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod participationes formarum naturalium sunt participationes divini procedentes quidem a Deo, sed non elevantes ad ordinem divinum, et facientes consortium divini naturæ, sed ut proportionatæ rebus naturalibus easque comitantes. Lumen autem gloriæ, et formæ supernaturales ex suo essentiali conceptu sunt formæ elevantes id quod est inferiori Deo ad ordinem divinum, et cum omnis intellectus creatus sit inferior respectu Dei non potest illa forma elevativa esse connaturalis illi sed adjecta, et elevans ad consortium divini intellectus. Licet autem lumen gloriæ non sit forma propria Dei, quantum ad inhæsiorem in ipso, est tamen propria quoad participationem, et ut elevativa ad consortium Dei, et sic nulla extra Deum potest esse connaturalis, et non elevativa.

ARTICULUS V.

Utrum sine lumine gloria possit per divinam potentiam intellectus videre Deum?

I. Lumen gloriæ ut constat ex dictis triplici modo se habet in intellectu beati. Primo respectu potentie intellectivæ in genere causæ formalis, quatenus reddit intellectum illuminatum formaliter, et consequenter elevatum, et potentem videre Deum in se. Secundo respectu divini essentiæ, quam respicit per modum speciei impressæ actuantis intellectum ad eliciendam visionem, se habet per modum causæ dispositivæ, et materialis ut intellectus recipiat talem actuationem. Tertio,

respectu visionis, quæ elicitur ab intellectu sic elevato, habet rationem, et habitudinem causæ effectivæ, quia est virtus ad eliciendam illam visionem; elicentia autem in genere effectivo fit, licet quia ille actus immanens est, etiam debeat dispositive se habere ad recipiendum illam. Cum ergo inquirimus an possit Deus supplere lumen gloriæ in ordine ad videndum Deum, non est difficultas quantum ad primum effectum, qui formalis est, neque enim in hoc potest esse controversia, quod non potest Deus reddere intellectum elevatum formaliter, et illuminatum sine lumine gloriæ, sicut non potest reddere album sine albedine, neque calidum sine calore, ita neque supernaturaliter illuminatum sine lumine supernaturali. De secundo effectum non est etiam specialis, aut magna difficultas, sed ex resolutione circa tertium adjudicanda est, quia si Deus potest supplere ut eliciatur visio sine lumine gloriæ, etiam ex consequenti supplebitur, quod recipiatur talis visio sine lumine gloriæ in intellectu a quo elicitur, et similiter quod illi uniatur essentia divina, eo quod nec sine specie unita potest elici visio, nec potest constitui formaliter videns, nisi recipiendo formaliter visionem.

II. Quare tota difficultas reducitur ad tertium sensum, an videlicet sine lumine gloriæ infuso, quod per modum qualitatis intellectui imprimitur, et inhæret, possit Deus, vel sesolo per extrinsecam assistentiam vel per aliquid aliud, quod non sit illud lumen supplere concursum et virtutem ejus ad eliciendam visionem, sicut licet Deus non possit supplere quod lignum sit calidum formaliter sine calore, potest tamen se solo sine calore superaddito effective producere calorem per lignum: quia potest omnem effec-

tum, quem facit cum creatura in genere causæ effectivæ facere se solo, licet connaturali modo fiant effectusa causis secundis per virtutes sibi impressas. Et idem inquirimus de intellectu creato, an possit producere visionem sine lumine superaddito per modum virtutis, licet connaturalius fiat per illud.

III. Duæ sunt principales sententiæ in hac parte, licet in varios modos explicandi dividantur. Prima tenet id non repugnare de potentia absoluta. Quod tenent plures ex recentioribus, Molina hic artic. v, disp. i; Suarez lib. ii de attribut. cap. xvi, n. v et vi; Vazquez hic disp. xlvi, c. i; Arrubal disp. xx, c. iii, qui etiam alios referunt antiquiores. Hi ponunt intellectum posse per suam vim potentiæ naturalis, sive obedientialis activæ cum solo concursu extrinseco Dei influente simultaneæ, intellectionem elicere, antecedenter autem non imprimere Deum aliquam virtutem in intellectu, sed extrinsece se habere, quia Deus suo decreto id decernit, et vult. De quo videri potest p. Alarçon hic tract. i de visione, disput. iii, c. iv, n. viii. Non vero asserunt isti auctores, nec alii allegandi, quod Deus suppleat concursum illum formaliter per se informando in ratione virtutis, sicut informat in ratione speciei, quia ista informatio importat imperfectionem causæ informantis, et non pure terminantis, et sic Deo repugnat. Accedit ad hanc sententiam Scotius qui in iv, dist. xliv, q. ii sentire videtur, quod sine alio concursu speciali, vel sine lumine gloriæ potest Deus exhibere se præsentem in ratione objecti, et sic ab intellectu videri. Cum quo concordat Vazquez, qui sentit quod si Deus se ipso gerit vicem speciei confortantis potentiam, et se illi repræsentantis, superfluit lumen gloriæ, aut si datur lumen gloriæ, illud habet

rationem speciei, ut jam supra retulimus. Ad eandem sententiam etiam accedunt alii, qui putant per solam assistentiam extrinsecam, qua Deus subordinat sibi intellectum posse Deum videri, atque ita requirunt aliquam elevationem potentiæ in actu primo, sed extrinsecam per assistentiam Dei, non intrinsecam per impressionem virtutis, sed quasi per sympathiam. Quam sententiam refert Magister Ledesma de perfectione Dei, q. viii, art. viii in subarticulo, et probabilem reputat m. Vincentius, relect. de gratia Christi, c. vi, nec respuitur ab his, qui negant intrinsecam receptionem auxilii, sive per qualitatem, sive per motionem, sed solum per decretum Dei extrinsecum. Qui omnes fundantur in eo quod visio non habet dependentiam ita essentialem a lumine, quin possit a Deo suppleri, eo quod concurrat in genere causæ effectivæ.

IV. Secunda sententia affirmat requiri etiam de potentia absoluta lumen gloriæ ad eliciendam visionem, nec sufficere solam extrinsecam assistentiam Dei neque solum concursum simultaneum, sed requiri necessario impressionem aliqujus virtutis receptæ in intellectu. Et idem est de aliis actibus supernaturalibus: sed tamen addit hæc sententia non requiri, quod illa virtus seu lumen habeat statum, et modum qualitatis permanentis, et habitualis, sed sufficere virtutem per modum transeuntis, seu per modum statum dispositionis, licet in sua substantia habitualis qualitas sit, sicut aliquando habitus existit imperfecte in subjecto, et per modum dispositionis, ut virtus quando nondum est perfecte acquisita. Ita communiter Thomistæ tam antiqui quam recentiores, Cajetanus in præsentia articulo v, Capreolus in iv, dist. xliv, q. iv ad argumentum ter-

tium et quartum, contra secundam conclusionem, Soto ibi q. ii, art. iv, Alvarez lib. vii de auxiliis, disp. lxxvii, Bagnez, Zumelet alii in præsentia articulo v, Navarrete hic contro. xxxix, §. i, Gonzalez disput. xxvii, sect. iii, Carmelitani tractat. ii, disput. iv, dub. iv et v.

V. De mente D. Thomæ in hac parte dubitari non potest. Nam expresse dicit in 2-2, quæst. clxxv, art. iii ad ii: « Quod divina essentia, videri non potest nisi per lumen gloriæ ab intellectu creato. Quod tamen dupliciter participare potest. Uno modo per modum formæ immanentis, et sic beatos facit sanctos in patria, alio modo per modum cujusdam passionis transeuntis, sicut dictum est de lumine prophetiæ, et hoc modo lumen illud fuit in Paulo. » Et in qu. xiii, de ver. art. ii similiter affirmat fuisse illustratam mentem Pauli lumine gloriæ, quamvis per modum transeuntis. Et qu. xx de ver. art. ii: « Videre, inquit, divinam essentiam est supra conditionem cujuslibet naturæ creatæ. Unde nulla creatura potest ad hoc pertingere, nisi aliquo lumine elevetur in illam beatam visionem, quod lumen in aliquibus unitur per modum passionis, quasi pertranseundo ut in raptis, in Christo autem fuit ut habitus animam Christi beatificans, etc. »

VI. Respondet p. Arrubal hic disp. xx, c. iii, quod quando D. Thomas loquitur de lumine gloriæ transeunte, loquitur de visione ipsa beatifica elicita sine principio inhærenti, hæc enim cito transit. Sed est insulsa responsio. Quomodo enim hoc subsistere potest cum verbis illis D. Thomæ: « Quod non potest ad hanc visionem pertingere aliqua creatura, nisi lumine gloriæ illustretur, quod in aliquibus est per modum passionis, in aliis per modum habitus. » Non autem elevatur aliqua

creatura, ut pertingat ad illam visionem per ipsam visionem, esset enim sensus, quod per visionem elevatur in visionem, quod est omnino absurdum. Et cum dicit D. Thomas quod divina essentia non potest videri, nisi per lumen gloriæ in patria permanentem, et hic transeuntem, numquid intelligit solum, quod divina essentia non potest videri nisi per visionem? Quis enim poterat de hoc inquirere an Deus videatur vel videri non possit nisi per visionem, sicut etiam lapis et homo non potest videri, nisi per visionem, tamen non est hoc, quod in illis locis inquirat D. Thomas, sed an requiratur ad istam visionem supernaturale lumen, et elevans? Et hoc dicit ipse requiri in patria permanentem, et in via transeuntem: sed in patria non potest dici, quod lumen elevans ad visionem est ipsa visio, alias videretur Deus sine lumine elevante ad videndum, quod damnat Concilium Viennense, ergo similiter, quando dicit D. Thomas quod requiritur lumen in via per modum transeuntis, non potest loqui de lumine pro visione, sed pro eo, quod elevat ad eliciendam visionem.

IMPLICATIO EXPLICATUR.

VII. Repugnantia, et implicatio hujus deducitur ex ipsis probationibus D. Thomæ, quibus probat hoc lumen esse necessarium ad videndum Deum, tam hic art. v quam in iii contra gent. c. liii. Et reducitur ad hoc, quia sine lumine gloriæ intellectus caret facultate videndi Deum, et manet improporcionatus illi visioni, et solum manet in potentia obedientiali ad illam, sed implicat, quod a potentia non habente facultatem, et vim elicivam procedat aliqua actio tamquam a causa principali, et vitali, sicut est potentia

intellectiva eliciens illum actum visionis, ergo implicat quod sine virtute elevativa superaddita, quam vocamus lumen gloriæ illa visio eliciatur, sive illa virtus detur modo transeuntisive permanenti. Majorem supponimus probatam in articulo præcedentibus. Minor vero probatur, quia implicat, quod aliquis effectus dicatur causari ab aliqua causa, nisi egrediatur ab illa tamquam ab efficiente, et producente, et si sit causa principalis implicat, quod egrediatur ab illa, nisi habeat conditiones essentialiter requisitas, ad causam principalem per quas distinguitur a causa instrumentali. Constituitur autem aliquod agens in ratione causæ principalis per hoc, quod habeat virtutem principalem, id est, ita proportionatam actui, seu effectui, quod possit producere aliquid sibi simile, vel omnino æquale si sit causa univoca, vel inferius si sit causa æquivoca. Producere aliquid tamquam sibi superius, et excedens propriæ virtutis operationem, et similitudinem, solum pertinet ad causam instrumentalem, quæ agendo operatur non ut sibi effectus assimiletur, sed ut assimiletur agenti principali, cui ministrat, et a quo movetur ut deserviat sibi in operando; ergo repugnat quod per potentiam absolutam fiat, quod aliquid sit causa principalis alicujus actus, seu effectus, sicut est potentia vitalis nisi ab ipsa egrediatur effectus, tamquam a virtute proportionata, id est, assimilativa ipsius effectus ad se, et non solum ut pure mota ab alio principali, cui effectus ipse assimiletur. Et sic sola extrinseca Dei assistentia, vel quodcumque aliud non constituens causam secundam in ratione virtutis proportionatæ, non potest efficere, ut iste effectus sit ab illa causa secunda, ut a causa principali. Et in hoc stat tota æquivocatio oppositæ

sententiæ, quia aliud est Deum posse facere effectum causæ secundæ se solo, aliud quod possit facere, quod illa causa secunda sit vere, et proprie causa sine virtute causandi proportionata ad effectum loquendo de causa principali, et vitali. Visio autem non dicit solum effectum, quomocumque factum, sed ut a causa secunda vidente.

VIII. Responderi potest primo, quod intellectus sufficienter manere potest elevatus per assistentiam Dei extrinsecam, et decretum Dei, quod est supernaturale et de se efficax sine additione virtutis per solam sympathiam, qua creatura obedit Deo; formaliter autem elevatur per ipsam visionem, quæ reddit formaliter videntem. Secundo, quod per concursum Dei simultaneum majoris activitatis supplet Deus vim, et efficaciam luminis elevantis. Tertio, quod intellectus influit partialiter per suam virtutem activam obedientiam ad illam visionem, et ita sufficit, quod Deus tamquam alia causa partialis influat in id quod supernaturalitatis est in visione, etiamsi nihil intrinsecum apponat in ipso intellectu. Quarto, quod intellectus solum instrumentaliter concurrat ad visionem quatenus supernaturalis est, et ita non requirit virtutem intrinsece impressam per modum luminis, sed sufficit extrinseca assistentia Dei, tamquam instrumentum operans ultra propriam virtutem.

IX. Sed contra primam responsionem est, quia visio illa non solum debet informare potentiam reddendo, illam formaliter videntem, sed etiam debet procedere ab ipsa potentia ita quod ipsa potentia reddatur formaliter operans, utpote causa vitalis illius visionis, ergo essentialiter debet supponere vim proportionatam in tali potentia ad eliciendam visionem, quia si procede-

ret a potentia non habente istam vim proportionatam, procederet a potentia carente facultate ad operandum; quod esset procedere a causa, et non procedere. Procederet, quia ita ponitur. Non procederet, quia bene valet, procedit, ergo potest procedere, ergo est facultas in potentia ut procedat; ergo e converso a destructione consequentis ad destructionem antecedentis, si non est facultas neque potest, ergo si non potest, non procedit. Sympathia autem et virtus extrinseca seu decretum Dei extrinsecum non habet locum in præsentia, quia non potest extrinsecum decretum Dei facere ut ignis generet, tamquam causa principalis, non existente in igne virtute ad producendum alterum ignem, quæ det illi facultatem ad generandum illum per modum causæ principalis, sola enim voluntas Dei extrinseca non potest facere, ut causa dicatur producere effectum sine eo quod effectus procedat ab ipsa, aut quod causa sine virtute, et facultate emittat ex se effectum, licet possit Deus se solo effectum producere sine interventu causæ secundæ. Hoc enim quod est causam non posse denominari causam sine egressione effectus ab ipsa, et sine facultate seu virtute ad producendum, pertinet ad ipsam constitutionem, et consequenter ad genus causæ formalis ipsius causæ secundum exercitium causandi. Quod amplius infra ostendemus contra tertiam responsionem probando non sufficere virtutem et assistentiam extrinsecam etiam partialem, a fortiori enim non sufficet extrinseca totalis.

X. Contra secundam autem responsionem fit instantia. Quia concursus simultaneus non est in causa, sed in effectum egredientem a causa, eo quod effectus recipit in se esse dependenter a causa prima, quæ est principium totius esse: ergo talis

concursus simultaneus cum influat in effectum simul cum causa jam supponit ipsam causam proportionatam quia, supponit illam operantem, seu cooperantem sibi, ergo non potest constituere illam in ratione virtutis proportionatæ. Et ita concursus simultaneus non dat vires, neque roborat causam creatam, aut elevat illam, sed præsupponit in illa totum, quod requiritur ex parte virtutis in ipsa causa creata ad cooperandum sibi, et influendum in effectum. Nisi forte concursus ille non sit pure simultaneus, sed etiam elevativus ipsius causæ, et influxivus in illam. Sed tunc pro ea parte, qua influit in causam imprimi in illam aliquem effectum, seu virtutem superiorem, et elevatam, quia non potest intelligi influxus in causam si nihil in illa ponat, si enim nihil ponit influxus, nihil influit, nihil autem influere est non influere. Hæc autem virtus cum sit ad videndum Deum vocatur lumen gloriæ.

XI. Contra tertiam, videnda sunt, et supponenda, quæ diximus articulo secundo circa potentiam obedientialem ostendendo, quod non potest dari potentia obedientialis activa, quæ partialiter influat in actum supernaturalem, sed potentiam obedientialem non posse esse aliud, quam capacitatem, seu non repugnantiam, qua aliqua potentia est elevabilis per potentiam Dei, et per illam elevationem accipit vim, et facultatem proportionatam ad eliciendum actum illum supernaturalem. Et quod attinet ad præsens, quidquid sit de potentia illa obedientiali, saltem debet esse constans, quod per ipsam non habet intellectus creatus facultatem proximam, et proportionatam ad videndum Deum, neque ejusdem ordinis cum ipsa visione, sed indigentem lumine elevante, ita quod secundum se caret facultate